



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 41. Ce cæde Prophetarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)



MEDITATIO XLI.  
DE CAEDE PROPHE-  
TARVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- Matt. 23*
- I. *Dixit Iesus turbis & principibus Sa-  
cerdotū Ecce mitto ad vos Prophetas,  
sapientes, &c. ex illis occidetis.*
  - II. *Hierusalem, Hierusalem, quoties  
volui congregare filios tuos, quemad-  
modum gallina congregat pullos?  
&c.*
  - III. *Relinquetur domus vestra deserta.*
- 

DOCUMEN TA.

I. *E*cce mitto Mira Christi bonitas, qui  
cū tanto tempore, Iudæis, tunc ob-  
stinatis concionatus esset, sine ullo, aut  
valde paruo cū fructu ( apud Principes ac  
præciuos Iudæorum, à quibus erat occiden-  
dus ) tamen adhuc spondet se missurum Pro-  
phetas & Scribas, id eit, Apostolos & concio-  
natores, S. Scriptura, interpretes qui illis no-  
niam legem explicent, & Christi doctrinam  
per Iudæam proponant. Idipsum præstat etiā-  
nam Ecclesiæ suæ, quam nunquam deserit  
procurando varios Ecclesiasticos, religiosos  
pios ac doctos, qui legem euangelicam inter  
Catholicos, hæreticos, infideles, &c. propo-  
nunt, magno labore, &c. propter Deum : vt  
Apo-

Apostoli, alijq; viri pij ac docti Apostolorum tempore fecerunt.

2. *Et ex illis occidetis.* Magis & hoc mirandum quomodo DEVS permiserit ferè omnes Apostolos & primos fidei Christianæ præcones ac propagatores immo & vnigenitum filium suum occidi , ac tantis pœnis cruciatusque affici : Nimirum sapientissimus ille DEVS ( qui potuit impedire ) maluit hæc mala permittere , vt plurima inde bona eliceret : quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Roman. 8. Nam ex Passione CHRISTI secuta est : ALVS MVNDI ; ex morte Sanctorum, conuersio plurimorum aliorum , meritum ipsorum , ædificatio posteriorum , multitudo miraculorum v.c. ex Oratione 8. Stephani ( teste S. Aug. ) secuta est S. Pauli conuersio. Similia hodieq; eueniunt ad Dei gloriam. & aliorum salutem in India, Iaponia, China, Brasilia, Mexico, Abassia &c.

3. *Hierusalem, Hierusalem , quoties vobis congregare filios? &c.* En tenerrimum CHRISTI amorem erga hostes suos capitales: non ignorabat Iudeos , qui Hierosolymis habitabant, sibi mortem machinari( quam non ita multo post , ei intulerint ) tamen eos ita amabat, vt filios suos appellaret, & tanquam pater benignissimus eos suscipere paratus esset : sicut iam peccatoribus contingit, qui illum ( quantum in se est ) rursus crucifigere parant. Hebr. 10. 6. Talem amorem ostendere debet superior, pastor &c. in subditos.

4. *Quemadmodum gallina &c.* Sicut gallina clamore & rostro , pullos suos defendit, et iam cum vitæ periculo , fame se conficit, vt eos alat; protegit contra æstum, frigus, pluuias, se se,

fese pro illis exponens, ita & Christus pro suis electis fecit, & superiores præstare debent sibi subditis, monendo, caueant à laqueis Diaboli, sub alis caritatis & disciplina continendo, donec proficiant &c.

5. *Relinquetur domus vestra deserta* De templo Hierosolymitano, toto orbe tunc celeberrimo intelligit; quod post Christi passionē omnino relictum ac euersum est. Nam paulo ante Vrbis euerzionem auditæ sunt, teste Iosepho, voces dicentium: *Migremus hinc.* Idem euenit animæ peccatrici, quam DEVS & Angeli derelinquunt.



## MEDITATIO XLII. DE SAMARITANO ET LEVITA.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

- I.** *Christo dicente discipulis Beati, qui vident, quæ videtis: quidam Legis-Ductor querit: quod sit maximum mandatum?* Resp. *diliges Dominum Deū tuum ex toto corde &c. & proximum tuum, sicut te ipsum.*
- Luc. 10**
- II.** *Hoc instāte; quisnam esset proximus?* Resp. *qui facit misericordiā erga miseros; quod probat adhibita parabola.*
- III.** *Cuidā à latromibus in via vulnerato, Sacerdos & Leuita transiens opem non tulit, at Samaritanus oleum ac vinū infundens vulneribus, duxit in stabulū eumq[ue] stabulario cōmendauit.*